



Panis Evangelici Fragmenta Quadragesimalia Tripartita

Ex sanctissimo Dei Verbo copiosé & sedulo collecta, Sanctorum Patrum, variorumque Auctorum sententiis & conceptibus mirificè aucta; Et Omnibus Quidem Anni Dominicis; præcipuè tamen singulis Quadragesimæ Dominicis & Feriis per binas ad minus, sæpius denas aut septenas Conciones fideli Populo ...

Lingendes, Claude de

Coloniae Agrippinae, 1689

In Eandem Feriam Secundam Vel Tertiam Post Dominicam Quartam Quadragesimæ.


Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56356](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56356)

parcet oculus meus, nec miserebor: & cum clamaverint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos. Singula verba essent expendenda: sed non vocat.

Quid igitur inde concludemus nisi zelum pro domo Domini? *Domine dilexi decorem domus tua:* 1. Ad Sacerdotes mihi sermo, ad quos pertinet cura templorum: Certè si sale vanuerit, in quo salietur? 2. Ad alios, & duplici proposito: primò ut pro se id maximè caveant; deinde pro aliis: Recordentur quanta olim in

primis Christianis fuerit Templorum reverentia, & videant, quò zelò ad illorum exemplum ardere debeant pro gloria DEI. Meminerint esse Angelos, adesse DEUM, &c. & propterea tollant calceamenta de pedibus suis: terra enim in qua stant sancta est: eò demùm modò discant adorare Deum in hoc loco, quò mereri possint intrare aliquando in cœleste illud Templum in quo adorent in sæcula. Amen.



FERIA SECUNDA VEL TERTIA
 DOMINICÆ QUARTÆ
 IN QUADRAGESIMA
 CONCIO SECUNDA.

Cur tam paucis Deus sese ex toto communicet.

Iesus autem non credebat semetipsum eis. Joannis 2.

HÆC duo æqualiter admiranda: 1. quòd creatura se Deo non credat: *Ps. 77. Non est credum Deo spiritus est:* Alterum, quòd Deus creaturæ se Deo credenti, non se credat: cui enim creatura cõfidat, nisi Deo? Cui autem Deus se credat, nisi credenti se Deo? Quòd enim creatura se Deo non credat, crimen est: quòd creaturæ Deus se non credat pœna est: hujus autem rei causam hodierna die querimus. **A VE MARIA.**

DUO mihi planè certa sunt, & satis manifesta, Vnũ est Deũ ex se propèssimũ esse ad sui comunicationẽ, plusquã Solẽ ad illuminandũ, terrã ad producendũ, mare ad generandũ: Id petitur ex ratione ejus bonitatis, quæ ex natura sua propèdet ad benefaciendũ: nã de eo dicitur, ejus natura bonitas, & opus misericordia. Hinc existunt in Divinitate comunicationes internæ, ac naturales, idque necessariò: unde Filii productio, & spiratio Spiritus Sancti

Sancti. Hic quoque oritur eximia illa in Deo inclinatio ad sui extra se communicationem, & quasi effusionem: Cùm enim à Sancto Dionysio dicatur esse superplenus, quemadmodum vas superplenum effunditur; & Divinitas ubi seipsam infinitam implevit, extra se funditur in creaturas; utque in Oceano ratione eximiæ plenitudinis existit fluxus marinus, sic in Deo existit quædam supereffluens quasi dimanatio propter infinitatem.

2. Mihi quoque certum, quemadmodum flumina in loca declivia inferuntur ita divinam beneficentiam, & communicationem potissimum in homines fieri, ac Deum peculiarem quandam propensionem habere ad se illis communicandum: Hinc 1. varia Dei nomina respectu hominum, uti Regis, Domini Redemptoris, Magistri, Legislatoris, Patris, Sponsi, & aliorum multorum. Hinc 2. in Deo duplicis generis attributa distinguimus, quædam absoluta, alia relativa. Hinc 3. illa Divinæ Majestatis humiliatio, ut homo fieret, ne majestas homines summo veret, unde Incarnatio dicta est Oeconomia ac dispensatio, quæ voce Sancti Patres significant deflexum à rigore, seu condescensum. Hinc etiam 4. legitur in Scripturâ varia hujus divinæ benignitatis exempla, quibus, se se familiarissimè ad homines demisit; Nam in Canticis Canticorum, & in plerisque vitis Sanctorum habemus quædam Dei communicationes ad eos familiares, ut non nisi stuporè nobis relinquunt.

Vnde itaque fit, ut Deus tam paucis hominibus se se ex toto communicet, secundum illa Evangelistæ verba, *Ipsè autem Iesus non credebatur semetipsum eis?* Atque ut mireris magis id in omni hominum genere contingit: Etenim quàm paucis sui cognitionem communicat, ac confidit? Electio inter tot nationes, unius populi. Ac deinde quàm paucis fidem communicavit? *Notus in Iudæâ Deus: Deuteronom. 14. Te elegit ut sis ei in populum*

peculiarem de cunctis gentibus, quæ sunt super terram. Inter fideles autem quàm paucis amorum perfectionis? Inter eos? verò qui perfectionem profitentur, quàm paucis se, & sua omnia credit? In Regibus exemplum accipe Eccli. 49. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Iudæ, & contempserunt timorem Dei. Id Moysè figuratum est de quo ita Dominus Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt: Quare ergo non tumulus detrahere servo meo Moysi? Ita nunc pauci sunt, quibus se ex toto Deus dedat. Atque hujus rei rationem investigo.

1. Ergo esse potest maximâ ex parte hominum hypocrisis, eaq; triplex, 1. est quoniam aliud cogitant, aliud loquuntur Eccli. 2. *Va duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terra ingrediens duabus viis. Matth. 15. Bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Nam nec cor concordat lingua operibus, duplicem fraudem necentes; ut enim advertit S. Chrysolomus, licet dicatur, *Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat,* tamen non intendebat. Itaque subdit, *Ipsè autem Iesus non credebatur semetipsum eis* eò quod ipse nosset omnes; atque ut scias non externa curasse, sed spectasse interna, subdit: *Ipsè enim sciebat, quid esset in homine* Quod autem ait, *& opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine,* ostendit homines vulgo decipi, quia his tantum duobus modis alios norunt, vel per se ipsos; & tantum vident externa; vel ex aliorum sermone, qui & ipsi decipere possunt, & decipi: *Ipsè autem sciebat quid esset in homine.*

Reflexio. Quam multis hodie id contingit. Videas enim plurimos in speciem, Christianam fidem profiteri, quippe qui in Ecclesiam veniant, cum verè tamen non credant. Itaque *Iesus non credit semetipsum eis*: unde fit ut quæcunque dicimus de rebus divinis, ea non capiant, neque intelligant Ioan. 8. *Sermo meus non capit in vobis*: ideoque nec commoventur, quia *Iesus non credit semetipsum eis*. Pone tibi ob oculos Iudam Iscariotem in cœnaculo dñi Christus tam præclara diceret: *Aderat ille corpore, animo vagabatur: cum itaque earum rerum quæ diceretur crederet, nulla ratione commovebatur*: Vide dissimilem aliorum statum. Dominus statim ab ipso initio: *Desidero*, inquit, Luc. 22. *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*; & paucis interjecit, cum se ipsum turbasset, sermonem iniecit de Traditore: hinc omnes commoti sunt Apostoli Ioan. 13. *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hastrantes de quo diceret*: Ille non magis commotus quam rupes, quam saxum. Quis Apostolorum sensus cum eis pedes lavaretur, ex uno Petro potes conjicere: *Domine, Tu mihi lavas pedes? non lavabis mihi pedes in aeternum*. Sed cum singulis corpus Christi, & Sanguis ab eo porrigeretur? Sed cum illam admirabilem precationem habuit? Hinc Iudas ad omnia tam stipes & immotus, ut in medio Christi sermone foras discesserit, ut traditionis suæ telam perficeret: Et ex sua parte Iesus, quasi de Iuda diffideret, de multis eo præsentem non locutus est, quæ eo absente magna animi alacritate disseruit. Hoc notavit D. Ioan. cap. 13. cum enim discessum Iudæ narrasset, subdit. *Cum ergo exisset* (de Iuda loquitur) *dixit Iesus: Nunc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo*: & multa alia tam tenera & tam aperta, ut nõ nisi filiis & amicis dici debuerint, non autè confidi perfidis, ignotis, & extraneis.

Sed quoniam hæc hypocrisis paucorum est, ad alteram transeo quæ in eo consistit, quòd

pauci admodum Deum sincerè quærant, propter ipsum, non autem sui causa; & querela Apostoli verissima est ad Philipp. 2. *Omnes quæ sunt quærant, non quæ sunt Iesu Christi*: omnes dixit quia ferè omnes, & pauci sunt, qui aliter faciunt. Inde fit igitur ut paucissimis admodum se DEVS committat. Adverte inter homines universalissimam causam cur tam multæ prodiones existant, ac vix reperias, qui alteri fidere, aut possit, aut debeat, esse communem illam generis humani pestem, quòd se homines in omnibus quærant, aut commodum suum, aut gloriam, aut voluptatem. Hinc nulla vincula sunt secura, non sanguinis, non affinitatis, non conjugii, non amicitie, non honestatis, non beneficiorum: imò etiam nec Religionis, nec iuramenti. Quæ autem crimina inter se homines admittunt, eadem etiam ad res Divinas transferunt, cum itaq; soleant etiam cum Deo agentes sui potissimum rationem habere, hinc fit ut paucissimis admodum Deus se ex toto committat: *Ipsæ enim sciebat, quid esset in homine*. Hinc existit in hominibus perversissimus donorum Dei usus, quorũ fructũ, quæ laus est & gloria, non ipsi Deo, uti iustũ erat, sed sibi iniquissimè attribuunt. Veniat in mentem Parabolæ agricularum Matt. 21. quibus Pater familias vineam suam locaverat, qui proditorie filium heri sui, hoc est hæredẽ interemerunt. *Venite, inquit, possideamus hæreditatem: hic est hæres, Venite, occidamus eum*: Vide contrarium exemplum in Domino, in Evangelio hodierno vel crastino. Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*: Et postea. *Qui loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, & iniustitia non est in illo*. Ergo ob ejusmodi iniustitiam, non credit Iesus semetipsum hominibus.

Sed ne Filii tantum fidelitatem jactare videar, vide etiam servi, ut à simili petas exemplũ, De Ioanne Baptistâ loquor qui discipulos suos

huos ad Jesum mittebat, gaudebatque Dominum sui decrementis crescere; unde agebat, *illum oportet crescere, me autem minui*: Et cum à discipulis, & æmulatoribus Christi, fidelitas ejus sollicitaretur; audi quid respondeat, Joan. 3. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est.* Egregia sane similitudo; Sponsus, & amicus Sponsi non sunt æqualis conditionis; ad Sponsum, Sponsa pertinet; Amici autem munus est, hominis gratiã in sponsalitiis Sponsum comitari, ipsum cum Sponsã colloquentem audire, & in hoc gaudere, non autem Sponsam appetere. Per hæc significat Christum esse Sponsum Ecclesiæ, se autem Amicum Christi, non Sponsum ipsum: non igitur ægrè ferre debebat, neque injustum existimare, quod plures ad Christum venirent, hoc enim erat Sponsam suo Sponso copulari, neque ei invidere oportebat, cum id esset velle sibi Sponsam usurpare; immò gaudendum erat, quòd Ecclesia, quæ est Sponsa, suo Sponso uniretur; ad Joannem autem pertinebat Sponso istare, ministrando, testimonium perhibendo, eum cum Sponsã jam colloquentem & docentem audire, & in hoc gaudere. Hæc Joannis comparatio adulterii quorundam turpitudinem mihi repræsentat, qui cum Dei donis fornicantur, & inde gloriam quasi partum nasci sibi volunt; quæ res multos repellit à Dei communicatione, unde fit ut ab eis sua dona auferat, ut aliquando tollet ab Idololatris creaturas, quibus sunt abusi; *Et ipsa creatura liberabitur a servitute in libertatem*: & à multis hominibus tollet veritatem quam ex Apostolo detinent in injustitiã: *Osce 2. Sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.*

Tertia hypocrisis est: Quia vix est ullus qui se se ex omni parte & ex toto committat Deo, ac Deum sine ullã restrictione quærat, secundum illud Psalm. 77. *Generatio prava, & exasperans, generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo, Spiritus ejus*; Quid mirum igitur si ejusmodi hominibus non credat semetipsum Iesus? Vide exemplum in Cãino, qui cum benè offerret, malè dividebat: ait Scriptura ex *Vers. 70.* In Saule qui ut ait Gregor. nunquam se Deo perfectè dedit, nec prophetiani implevit, *mutaberis in virum alium*: unde quòd aliàs innuimus dicitur unctus lenticulã olei, ut scias ei gratiam diminutam collatam fuisse. Talis quoque fuit Iudas qui se nunquam ex toto Deo dedit: hoc vide in omnibus occasionibus. Exemplum pariter in populo, in deserto, sub Iudicibus; sub Regibus: unde cæpit Deum tædere super Israël. Hoc autem vide in nobis: *Quis enim se se Deo ex toto commisit? Quis nihil excipit cum Deo? Ille famam, ille aliorum offensam, ille pecuniam, ille sanitatem, hic corpus. Quis vult omnia, quæ Christus velit erga se fieri? Quis patitur omnia, & æqua mente recipere? Quis paratus est ea omnia facere, quæ noverit esse ex Dei voluntate? Non igitur mirum si se Deus ex toto non credat: hoc enim nobis perpetuum esse debet, ita DEUM erga animam se gerere, ut ipsa se gerit erga Deum: itaque si fuerit prodiga, erit ille prodigus, si parca, parcus, si diffidat, diffidet: secundum illud Psalm. *Cum bono, bonus eris, & cum perverso perverseris*, quæ ad literam de Deo intelligenda sunt.*

Porro illud etiam notatu dignum est, defectum illum sanctitatis plerumque ita esse occultum ut soli Deo pateat, quia amore propriò nihil callidius est, & amorem gloriæ re- & appellavit Plato ultimũ animæ amiculum, non solum quia ultimus exiit, sed etiã quia

cæteris

ceteris operitur, & occultitur. *Ipsē enim sciebat quid esset in homine*: Certē Job de seipso fatetur cap. 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Sed cū se homines ignorent: *Pravum enim est cor hominis, quis alius cognoscet illud? nisi ego Dominus*; & non mirum. *Renū enim scrutator est*, & ut dicitur hodie non se credebat, eō quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. *Ipsē enim sciebat quid esset in homine*.

II. Causa esse potest eorum imperfectio: ita enim causam explicat S. Augustin. Quid sibi vult hoc (inquit) illi credebant in nomine ejus, & ipse Jesus non credebat semetipsum eis? an forte non credebant ei, & fingebant se credidisse? sed non diceret Evangelista, *multi crediderunt in nomine ejus*: Magna ergo res, & mira: credunt homines in Christum, & Christus non se credit hominibus; præsertim quia Filius Dei est, & utique volens passus est, & si nollet, numquam pateretur: sed tales sunt omnes Catechumeni: si dixerim Catechumeno, credis Christo; respondet credo; & signat se: si interrogemus eum, manducas carnem Filij hominis, nescit quid dicimus, quia Christus non se credidit eis. Hæc ille. Alludit ad morem veterem, quo doctrina de Eucharistia non nisi initiatis proponebatur: Ex quo tamen colligimus ideo Christum multis se non credere ob virtutem imperfectam. Itaque ex Chrysoft. non credebat illis majora mysteria: Vide quid Judæis fecerit, quos habuit ut pueros sub elementis mundi; Item Apostolus eosdem appellat carnales, & opponit Spiritualibus: *Spiritualis autem judicat omnia*, item vocat pueros, itaque dixit, *Lac vobis potum dedi non cibum, nondum enim poteratis*. Initio, Samuēli nondum revelatus erat Dominus, & ipse nesciebat Dominum: Ita multis contingit ob statum imperfectum. Sed pròh Deus! quā multi in eo statu perseverant, Puer centū aho-

rum morietur. Luger Chryl. Christianos quotidie venire in Ecclesiam nec doctiores fieri in virtute. Porro ea fidei imperfectio, duplex assignari potest: 1. quia non quibuslibet credebant: 2. quia non debitam habebant causam fidei affectu. Id significavit Evangelista dicens, *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ejus signa quæ faciebat*: Unde Christus exprobrabat quibusdam: *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*, cū tā multas aliunde causas credendi habuissent, ut testimonium Joannis, Scripturas & Christi prædicationē & exterius, & interius operantē. Quā multi aut spe, aut timore ad Christum accedūt, quibus se ipsum ex toto non credit.

III. Causa est hominum infidelitas, ac scelerata perfidia. 1. Cū ne homo quidem sibi ipsi fidelis sit, ita se ipsum quotidie decipit, quomodo non etiam aliū? 2. ab experientia: quā enim sapē fidem Deo juratam perfregit, ita ut vita omnis nostra in pœnitentia degatur; est enim aliqua, ut ait Tertull. pœnitentia pœnitentiæ, ita ut in unumquemque cadere possit ex postulatio infidelitatis. 3. Quia nulla est creatura quæ fidem hominis datā rescindere non possit, uti patet experientiā. 4. Quia in bonis Dei quā sapē homo, Sponsam Deo quæsiturus, sibi contra fidelitatem despondet, quia nimirum dona sibi comissa sibi usurpat, unde Deus jure merito sua subtrahit, nec deinceps tam facillē credit. *Ipsē autem Jesus non credebat semetipsum eis eō quod nosset omnes*. Vide quā merito: ubi enim se credidit, quid non in eū admiserunt? ac vel ex uno disce discipulo, cui crediderat, 1. pecuniam, & ipse eam furabatur; 2. gratias gratis datas, & omnia ad gloriam & lucrum direxit; 3. dignitatem Apostolatus, quā usus est ut tradendi opportunitatem acciperet; 4. Se ipsum, dū osculū præbuit, quō Magistrum in manus hostium dedit: Ei autem non nescius ea credidit, sed cū eum penitēs agnosceret, non credidit interius se metipsum

ei. Vide autem quò perveniat hominum perfidia: Ut scilicet securus non sit Deus inter eos. Arque hujus loci sensus germanissimus est: hoc enim vult Evangelista: *Multi crederunt, in nomine ejus videntes ejus signa quae faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*: hoc est, non tamen securus inter eos vivebat, itaque non se dabat in eorum familiaritatem: nec uti cum domesticis & Apostolis vivebat: sed uti aliquando præcepit discipulis, *Cavete ab hominibus*. Ita invitatus à cognatis, cum eis ascenderet Jerosolymam, negavit se ascensurum ad diem festum hunc, scilicet palàm: Et aliàs de eo dicitur. *Iesus autem abscondit se ab eis, & exiit de Templo*: Et aliàs *Non enim vocabat in Iudæam ire, quia querebant ipsum interficere*: Vide autem exemplum in Herode: is enim cum audisset natum Regem Judæorum, ut eum deprehensum interficeret, sinit se velle adorare, sed impij Regis astutia, & perfida delusa est. Quàm inter paucos securus est Dominus! In quo duo dilectimus, 1. est parùm esse fidendum hominibus carnalibus de rebus divinis: 2. videndum ne tales ad Deum accedamus, erga eum infideles & perfidi.

IV. Causa est hominum superbia, secundum illud Tobit 28. *Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiae? abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque caeli latet*. Hoc enim est quod exultans in Spiritu Christus dicebat Patri. *Confiteor tibi Pater quia abscondisti haec à Sapienibus, &c. & revelasti ea parvulis*. Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante se: Vnde saepe Phariseos, & Scribas admonerebat, ut Ioan. 5. (eras vel hodie.) *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem quaritis, & gloriam quae à solo Deo est, non quaritis? Vide hoc in praxi: Et ratio est, Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: vero Ad hæc, qui Deum agnoscit, cetera præ illo contemnit, quod facere non possunt superbi? Denique quoniam sui amor, & propriae excellentiae opinio à multis impedit, & incompossibiles sunt Spiritus Dei, ac Spiritus inflatus mundi.*

V. Causa est hominum inconstantia ob quam non potuit Christus in se credentibus se concredere, nec licet in se verè crederent, utpote quos videbat quacunque occasione abducendos. Itaque licet dicatur. *Multi crederunt in nomine ejus*, benè tamen subditur. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis*. At quidem vide 1. quanta sit hominum inconstantia, atque exemplum sume ab ipsis Iudæis: Quot mutationes in deserto post visitata miracula? minimà occasione populus illudiscedebat à Deo. Vidit à tergo Pharaonem, statim cœpit murmurare: Tum ut ex itinere fatigatus est, & ubi deficere farina cœpit, tum quoque cœpit nauseare super manna: Item cum amara aqua: Tum in siti: postea in absentia Moysi: Tum in punitione: Postea in ambitione Sacerdotii: Deinde ex dilatione ingressus in terram: Insuper tædio difficultatum, unde toties in deserto prostratus & afflictus: Itaque illis exprobrat: David Ps. 77. *Generatio prava, & exasperans, generatio quae non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo Spiritus eius*. Postquam autem pervenit ad Terram, quàm crebræ in illo mutationes! experiri voluit omnia genera Idololatriarum, utque illi exprobrat Deus per Prophetas, *Sub omni ligno frondoso prosternebaris Meretrix*, unde illum mittit ad exteras nationes, quæ licet veros non haberent Deos, sed cum adulteris viverent, non tamen mutabant religionem suam, sed in eadem perseverabant, Ierem. 2. *Transite ad insulas Cethim, & videte, & cedare mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiusmodi, si mutavit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt dii populus meus: mutavit gloriam suam in idolum, & ideo Propheta commovebitur, & exclamabit: Obstupescite caeli super hoc, & porta caeli desolat.*

de solamini vehementer: Et ex tam crebra mutatione sic illum propterea appellat, idem Propheta c. 18. *Avia discolor hereditas mea mihi*, quod de Pavone intelligit Hieronymus de quâve sic Tertullian. lib. de Pallio cap. 3. Multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, et si semper ipsa quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda. Talis etiam fuit hic populus in Christum, nam eodem die, & credebat, & in eum lapides tollebat: Quæ major inconstantia, quam quod die in Urbem tantò plausu receptus est, eodem die impransus ab Urbe discesserit, & sexto die post ad necem sit postulatus: Quam diversa illæ voces: *Hosanna Filio David*, & illa, *Tolle, tolle, crucifige*. Non mirum itaque si Christus qui hujus gentis norat ingenium, non se crederet etiam credentibus sibi.

Sed ut ex multis quæ hinc colligi possent unum aliquod capiamus. Imaginem inconstantia in alio vidisti, in te veritatem aspice: Quæ enim major inconstantia, quam aut Judicii nostri, aut Voluntatis mobilitas? Quod mare pluribus fluctibus, quod cælum pluribus mutationibus, obnoxium est; quam vita nostra sibi est dissimilis? Sed quam ipsi anni? Ipsi etiam menses, immò una dies, una hora? Probamus, improbamus; volumus, nolumus; optamus, fastidimus: Quot res incipimus, sed quam unquam perfecimus? quam in virtutibus varii sumus? quam in affectibus? eodem tempore diversa dicimus, immò intra paucorum verborum numerum.

2. Vide unde oriatur in nobis illa inconstantia. 1. Ex magnâ rerum ignoracione; 2. ex rerum omnium furore, & deceptione; 3. ex mutatione corporis, & animi; nam uti corpore sumus affecti, ita etiam plerumque mente; corpora autem nostra ab omnibus rebus patiuntur. Sed præcipua ratio est origo nostri, quod ex nihilo sumus: Hinc enim ortum habent omnes nostræ mutationes: Hinc

nulla creatura est impeccabilis ut quo suo pondere identidem relabatur in nihilum: Hinc in creaturâ, nulla firmitas, nulla securitas: *ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*: Et Amos 6. *Qui latamini in nihilo: quoniam ut dicitur Sap. 2. Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.*

3. Vide quam Deo nota sit illa nostra inconstantia. *Eò quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Præclare Augustinus. Plus noverat artifex quid esset in opere suo, quam ipsa opus quid esset in semetipso: Creator hominis noverat. Quid esset in homine; quod ipse creatus homo non noverat. Nonne probamus de Petro, quia non noverat quid esset in ipso, cum dixit. *Etiamsi oporteat tecum mori, non negabo: Audi quia Dominus noverat quid esset in homine. Tu mecum usque ad mortem? Amen dico tibi, priusquam gallus cantet ter, &c.* Homo ergo nesciebat quid esset in te, sed Creator hominis noverat quid esset in homine: hæc ille. Nos quidem certè, & sæpe ignoramus præsentia: Enim nemo scitan amore, an odio dignus sit: Futura autem nos planè latent. Tu quidem fides stas, sed quam multi ceciderunt. Ac licet Deus nos tractet secundum præsentem Justitiam, tamen in multis, futurorum habet rationem: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* An forte ludam non norat, & qualis præsens, & qualis futurus: Unde aiebat. *Unus ex vobis diabolus est: quibus positis.*

Vide an non rectè Christus non se concedat hominibus quos perfidos futuros prævidet? O cordis humani perversitas! O inconstantia omnium bonorum pestis ac naufragium! Ac miraris cur Christus se tibi non credat? Ne tamen communem humanæ naturæ conditionem accuses: Sicut Deus suspendit terram in orbe; sicut arenam ad eò fragilem

ita solidavit, ut ad eam confringat tumentes
maris fluctus; Ita plerumque animum men-
temque hominis adeò firmat, ut se se illi om-
ninò deder atque inde existat ille suavissimus
mutuæ amicitiaæ fructus, scilicet perfecta Dei
& Creaturæ consensio; ex quâ vera pax & trā-

quillitas in bono, incrementum gratiaæ; per-
severantia in amore Dei, Sancta mors,
& vita æterna, ad quam nos
perducat Christus.
Amen.

TOMI SECUNDI FINIS.

